

ARTICULUS II.

Utrum hoc sacramentum sit unum vel plura (infra, quæst. 78, art. 6, ad 2. Et 4, dist. 8, quæst. 1, art. 1, quæst. 2).

1. Ad secundum sic proceditur. Videtur, quod in Eucharistia non sit unum sacramentum, sed plura. Dicitur enim in collecta: Purificent nos Domine sacramenta, quæ sumpsimus, quod quidem dicitur propter Eucharistiæ susceptionem. Ergo Eucharistia non est unum sacramentum, sed plura.

2. Præterea, impossibile est, multiplicato genere, non multiplicari speciem, sicut quod unus homo sit plura animalia. Sed signum est genus sacramenti, ut supra dictum est (q. 60, art. 1). Cum igitur in Eucharistia sint plura signa, scilicet panis et vinum, videtur consequens esse, quod sint plura sacramenta.

3. Præterea, hoc sacramentum conficitur in consecratione materiæ, sicut dictum est (art. præc.). Sed in hoc sacramento est duplex materiæ consecratio. Ergo et duplex sacramentum.

Sed contra est, quod Apostolus dicit 1 Cor. 10: Unus panis et unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane et de uno calice participamus; ex quo patet, quod Eucharistia est sacramentum ecclesiasticæ unitatis. Sed sacramentum similitudinem gerit rei, cujus est sacramentum. Ergo Eucharistia est unum sacramentum.

Respondeo dicendum, quod sicut dicitur 5 Met. (a tex. 9 usque ad 12, tom. 3), unum dicitur, non solum, quod est indivisibile, vel quod est continuum, sed etiam quod est perfectum; sicut dicitur una domus et unus homo. Est autem unum in perfectione, ad cujus integritatem concurrunt omnia, quæ requiruntur ad finem ejusdem; sicut homo integratur ex omnibus membris necessariis ad operationem animæ; et domus integratur ex omnibus partibus, quæ sunt necessariæ ad inhabitandum; et sic hoc sacramentum dicitur unum; ordinatur enim ad spiritualem refectionem, quæ corporali conformatur. Ad corporalem autem refectionem duo requiruntur, scilicet cibus, qui est alimentum siccum, et potus, qui est alimentum humidum. Et ideo etiam ad integritatem hujus sacramenti duo concurrunt, scilicet spiritualis cibus et spiritualis potus, secundum illud Joan. 6: Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus. Ergo hoc sacramentum multa quidem est materialiter, sed unum formaliter et perfective.

Ad 1 ergo dicendum, quod in eadem collecta et pluraliter dicitur primo: Purificent nos sacramenta, quæ sumpsimus; et postea singulariter subditur: Hoc tuum sacramentum non sit nobis reatus ad pœnam; ad ostendendum, quod hoc sacramentum quodammodo est multa, simpliciter autem unum.

Ad 2, dicendum, quod panis et vinum materialiter quidem sunt plura signa; formaliter vero et perfective unum, in quantum ex eis perficitur una refectionio.

Ad 3, dicendum, quod ex hoc, quod est duplex consecratio materiæ hujus sacramenti, non potest plus haberi, nisi, quod hoc sacramentum materialiter est multa, ut dictum est (in corp.).

Respondet, hoc sacramentum esse multa materialiter, unum vero formaliter ac perfective. Sensus D. Thom. est, simpliciter esse unum sacramentum, ex variis rebus compositum ac perfectum, ut jam latius dicemus.

DISPUTATIO XXXIX,

PRIMA DE EUCHARISTIA.

DE INSTITUTIONE SACRAMENTI EUCHARISTIE.

Hæc disputatio continet, an sit hoc sacramentum, nam quia esse sacramenti ab institutione manat, idem est sacramenti institutionem, ac existentiam, investigare; simul vero de unitate hujus sacramenti dicemus; nam quia unum consequitur ens, et vix ab illo distinguitur, ideo quæstionem de unitate et multitudine ad quæstionem, an est, semper revocamus.

SECTIO I.

Utrum Eucharistia sit sacramentum a Christo Domino institutum.

1. Eucharistia est sacramentum sub speciebus panis et vini institutum. — Eucharistiæ nomine intelligimus, sacramentum quoddam sub speciebus panis et vini institutum, in quo secundum veram fidem Christus continetur, et a fidelibus sumitur, quæ vocis significatio necessario supponenda est, ut possit disputatio procedere, et res ipsa investigari, et ostendi. Hujus autem sacramenti præcipuum mysterium in reali præsentia corporis et sanguinis Christi, et mirabili transmutatione unius substantiæ in aliam, consistit. Unde primum

omnium inquirendum videbatur, an hoc mysterium verum sit, et quale, et quomodo fiat; sed hæc tractantur a D. Thom. inferius commodiori loco, quæst. 75; pertinent enim hæc ad propriam essentiam, materialem partem hujus sacramenti explicandam; hic vero solum generatim agimus de institutione sacramenti sensibilis, quod per modum cibi et potus in nova lege institutum est ad spiritualem vitam nutriendam, et hoc vocamus Eucharistiam.

2. Archontici et Messaliani hæretici. — Petrobrusiani hæretici. — Bogomili hæretici. — Ex antiquis ergo hæreticis quidam Archontici altaris mysterium omnino negarunt, ut Epiph. refert hæresi 40, idemque fere de Messalianis refert Theodor., lib. 4 Histor., cap. 40, illi enim Eucharistiam nullius utilitatis esse dicebant. Petrobrusiani vero dixerunt, licet Christus hæc mysteria celebraverit, non vero dedisse aliis eam potestatem; atque adeo nec sacramentum perpetuo in Ecclesia duraturum instituisse. Ita refert Petrus Clunia. in epist. quadam contra hanc hæresim. Denique Bogomili aiebant, Eucharistiam nihil esse, præter orationem dominicam et Evangelium, unde sacramentum evertebant, ut constat ex Euthym. in Panoplia, 2 part., tit. 27, c. 17; hæc autem hæreses et Evangelio aperte repugnant, et nullum apparens habuere fundamentum, unde antiquatæ prorsus sunt.

3. Prima conclusio. — Dicendum ergo est primo, conveniens fuisse in nova lege institui sacramentum aliquod sensibile, ut esset spiritualis cibus animarum. Conclusio est de fide ut ex facto ipso constat Joan. 6, Matth. 26, Marci 14, Luc. 22, et ex Trident., sess. 7, can. 5, ubi numerat omnia sacramenta a Christo Domino convenientissima ratione instituta, et in specie de hoc sacramento, sess. 13, cap. 1 et 2. Ratio seu congruentia a D. Thom. hoc loco satis explicata est, ut vidimus. Est enim lex Evangelica perfectissima, et plenitudinem gratiæ in se continens; et ideo conveniens fuit, ut hujus legis sacramenta, a Christo ejus auctore instituta, augmentum et conservationem gratiæ possent conferre modis omnibus, vel necessariis, vel humanæ fragilitati aecommodatis; ex quibus mus, ac præcipuus est ut per modum cibi et potus spiritualis homines nutriri possent, et ab innumeris periculis, quibus in hac mortali vita subditi sunt, defendi. Possunt præterea hic addi omnes congruentiæ, quas ad persuas-

dendam realem Christi præsentiam infra suo loco afferemus. Nunc illa sufficiat, Christum Dominum esse animarum cibum, et ideo maxime decuisse, ut sicut cibus refecit corpus media quadam reali unione cum ipso vivente, ita Christus in quodam sacramento præsens adesset, ut, per modum cibi et potus nobis realiter conjunctus, nos spiritualiter reficeret.

4. Dico secundo, hujusmodi sacramentum esse Eucharistiam, quæ propterea verum, ac proprium sacramentum est a Christo institutum. Conclusio est de fide, quam non solum Catholici, sed etiam novi hæretici amplectuntur; nam etiam Lutherani et Calvinistæ, qui unum, vel ad summum, duo sacramenta, admittunt, primum ac præcipuum locum Eucharistiæ tribuunt. Probatur ergo conclusio, primo ex Scriptura, quæ, licet non eisdem verbis, rem tamen ipsam satis aperte docet; Matth. 26, Luc. 22, continetur visibilis cæremonia, et significatio, et præceptum Christi: Hoc facite in meam commemorationem; et Joan. 6, continetur gratiæ promissio: Qui manducat hunc panem, vivet in æternum. Et confirmari hoc posset ex veteri testamento, in quo variis figuris et metaphoris sacramentum hoc indicatum ac promissum est, ut circa art. 6 D. Thom. videbimus.

5. Secundo definita est hæc conclusio in Conc. Florent., in litteris unionis; Trident., sess. 7, 13 et 21; Lateran. quod habetur in c. Firmiter; Carthag. III, c. 28 et 29, c. Cum Marthæ, de Celebr. missar., cap. In sacramentorum, cap. In sacramento, de Consecr., dist. 2. Tertio tradunt Patres omnes, qui late citantur dicta dist. 2, de Consecr., et referimus plures in disputationibus sequentibus; nunc sufficiant Dionys., cap. 3 de Eccles. Hier.; August., epist. 23 et 48; Ambros., lib. 5 de Sacrament.; Damasc., lib. 4, c. 14. Quarto ratio sumenda est ex definitione sacramenti novæ legis; est enim sacræ rei signum, ad sanctificandum hominem institutum, quæ tota definitio apertissime in Eucharistiam convenit, ut per se facile est, et ex dicendis evidentius patebit. Et ex his patet ultima conclusionis pars, scilicet, solum Christum fuisse hujus institutionis auctorem, tum generali ratione omnium sacramentorum novæ legis; tum etiam ratione propria, quia nullis potuit habere potestatem supra corpus et sanguinem Christi, nisi ab ipsomet Christo derivatam; nec potuit ullus nisi Christus novum testamentum fundare, et proprio sanguine confirmare ac consecrare; et quamvis

de absoluta Dei potentia aliud genus institutionis excogitari posset, nullum tamen aliud adeo decens, aut expediens fuit.

SECTIO II.

Utrum hoc sacramentum sit distinctum a reliquis, eisque perfectius.

Eucharistiæ sacramentum ab aliis est distinctum. — Hæc quæstio facilis etiam est, et breviter ex præcedenti expediendi potest. Dico ergo primo, Eucharistiam esse sacramentum, essentialiter distinctum ab aliis sacramentis novæ legis. Conclusio est certissima ex omnium consensu, et ex Conciliis, definitibus septem esse sacramenta. Ut autem explicetur, oportebit breviter proponere omnia, in quibus hoc sacramentum cum aliis convenit, et in quibus differt. Nam licet multa probanda sint in sequentibus, expediet tamen nunc ea præ oculis ponere. Primum igitur, si metaphysice loquamur, convenit hoc sacramentum cum aliis in genere sacramenti novæ legis, habet tamen propriam differentiam, per quam describi potest, esse sacramentum corporis et sanguinis Domini, per modum convivii ad nutritionem animæ institutum. Unde etiam constat alia similitudo et differentia. Convenit enim in virtute conferendi gratiam; differt tamen in proprio fine, ad quem est institutum; nam per se primo datum est ad charitatem, et devotionem augendam, ut latius infra, quæst. 79. Deinde per principia quasi physica rem explicando, commune est huic sacramento cum aliis, quod certam materiam et formam requirit, ut confici possit; differt tamen, quia illius materia et forma distincta est a reliquis, est enim panis et vinum, et verba specialia a Christo definita. Hinc secundo, sicut in aliis sacramentis datur materia remota et proxima, ita et in hoc, sed diverso modo; quia in aliis materia proxima est aliqua actio, remota vero est aliquid aliud, ex quo, vel circa quod, talis actio exercetur. At vero in hoc sacramento, materia non est actio, sed res permanens, quæ, quatenus in confectione sacramenti transit secundum substantiam, est materia remota; quatenus vero manet secundum accidentia, est materia proxima. Unde est tertia differentia, quod in aliis sacramentis, tam materia quam forma sunt res successivæ, et ideo moraliter simul sunt et simul pereunt; hic vero forma est successiva et transit, ma-

teria vero proxima consecrata permanet. Unde fit quarto, ut alia sacramenta tantum sint in usu, quia tunc fiunt, quando ad usum applicantur; tunc autem sunt, quando fiunt, ad modum rerum successivarum; hoc vero sacramentum ante usum in ipsa consecratione perficitur; et ideo post suum fieri, factum permanet, quamdiu species consecratæ durant, ut ex Trident. colligitur, sess. 13, c. 3. Ex quo fit quinto, ut in aliis sacramentis, tam materia, quam forma ordinentur ad unum et eundem effectum in suscipiente efficiendum; hic vero diversos habent effectus; forma enim nihil efficit in suscipiente, sed in materia, quam transmutat et conficit; materia vero consecrata habet in suscipiente gratiæ effectum. Ultima vero et potissima differentia, et radix aliarum est, quod in aliis sacramentis præter materiam sensibilem, et formam nihil in eis inest, nisi quod assumuntur, ut instrumenta ad gratiam efficiendam; et ideo dicitur eis conferri instrumentaria virtus gratiæ effectrix; in hoc vero sacramento præter formam, et materiam per se sensibilem, adest vere et realiter ipsemet Christus, qui est præcipua res hujus sacramenti, et proprius auctor gratiæ, quæ per illud confertur. Ex his ergo satis patet conclusio posita.

2. *Sacramentum Eucharistiæ cæteris perfectius.* — Dico secundo, hoc sacramentum esse longe perfectius et excellentius reliquis. Hæc etiam est de fide, et sumi potest ex Trident., sess. 13, ubi propter hanc causam sæpe vocat hoc sacramentum, divinum ac mirabile, sacrosanctum atque sanctissimum; qui est communis modus loquendi totius Ecclesiæ et Sanctorum omnium; et cap. 2, dicit, Christum Dominum divitias amoris sui in hoc sacramento veluti effudisse; et cap. 3, dicit, virtutem sanctificandi communem esse huic sacramento cum reliquis; huic vero proprium esse, quod ipsum sanctitatis auctorem in se continet. Propter hanc denique causam præcipue existimo idem Concil., sess. 7, can. 3, anathematis damnare eos, qui docent omnia sacramenta esse æqualia dignitate. Ratio vero potissima est, quia hoc sacramentum continet corpus et sanguinem Domini; ut autem dicit Alex. Pap., ep. 4 decret., et habetur in cap. Nihil, de Consec., dist. 2, in sacramentis seu sacrificiis, nihil est majus corpore et sanguine Domini. Quæ ratio variis modis explicatur a Theologis. Primo, quia dignitas sacramentorum potissimum in sanctitate consistit; illud ergo est dignius, quod sanctius. Reliqua vero

sacramenta solum sunt sancta habitudine, quia significant et conferunt sanctitatem; hoc vero, tum hoc modo, tum etiam formaliter, quia ipsam sanctitatem in se continet. Secundo, quia sacramentum est signum sacrum, eoque dignius, quo magis sacrum; sed hoc sacramentum est omnium sanctissimum, propter eandem rationem, scilicet, quia rem maxime sacram continet et significat. Ita fere D. Thom. supra, quæst. 65, art. 3; Marsil. in 4, quæst. 6, art. 3; Scot., Durand., Gab., et alii, dist. 8. Tertio addit S. Thom. (et habet fundamentum in Dion., cap. 3 de Eccl. Hier.) hoc sacramentum esse excellentius, quia est finis, et consummatio cæterorum, ad quod omnia aliquo modo referuntur; quod potissimum ratione rei contentæ intelligendum est. Nam si proprie et in rigore loquamur de sacramento ut sic, et usu sacramentali, non omnia sacramenta proprie ordinantur ad usum hujus, nisi valde remote et per accidens, ut constat de matrimonio, et extrema unctione; quia vero omnia sacramenta ordinata sunt, ut perfectius Christo uniamur, et ipse Christus in hoc sacramento continetur, et per illud mirabili modo hæc unio perficitur et consummatur, ideo dicitur hoc sacramentum consummatio cæterorum. Ita fere D. Th., in 4, dist. 7, quæst. 1, art. 1, q. 3. Quarto confert ad hanc perfectionem, quod hoc sacramentum est permanens, cætera transeuntia. Addit denique Scotus formam hujus sacramenti habere certiorum significationem, quam formas reliquorum, quia ejus effectus non pendet ex dispositione recipientis, cum sit sola materiæ consecratio. Quod sano modo intelligendum est; omnes enim formæ sacramentorum habent infallibilem significationem in eo sensu quo significant, quia illis non potest subesse falsum, ut supra ostensum est. Differentia ergo est in effectu, quia in aliis interdum impeditur, in hoc vero non, quantum est ex parte materiæ.

SECTIO III.

Utrum hoc sacramentum sit unum tantum.

1. Quæstio intelligitur de specifica unitate, sub propria et formali ratione perfecti sacramenti; nam materialiter constat, res multas in hoc sacramento inveniri. Hinc vero sumitur ratio dubitandi, quia in hoc sacramento sunt duæ materiæ, scilicet panis et vinum, et duæ formæ verborum, quæ res diversas significant

et efficiunt per se et propria virtute, scilicet carnem et sanguinem Christi; unde etiam species panis per se significant corpus, quod continent, species autem vini, sanguinem; sunt ergo hæc diversa signa sacra, atque adeo diversa sacramenta. Neque enim dici potest, esse partialia sacramenta, seu partes unius integri sacramenti, quod componunt, quia illa signa per se distincta sunt, et nullam inter se habent unionem vel conjunctionem, qua unum sacramentum componant. Et confirmatur primo, ex communi usu et locutione; nam qui suscipit speciem panis, non dicitur suscipere partem sacramenti, sed simpliciter totum sacramentum. Confirmatur secundo, nam qui unam speciem sumit, totum effectum gratiæ sacramentalis recipit; est ergo quælibet species per se integrum sacramentum, atque adeo duo sacramenta. Confirmatur ultimo, quia Ecclesia in orationibus Missæ sæpe de Eucharistia, ut de multis sacramentis, loquitur, ut cum ait: *Sacramenta, quæ sumpsimus, etc.*, et Concilia, et Patres eodem modo interdum loquuntur, ut patet ex Conc. Afric., cap. 4; Carth. III, cap. 24 et 29; Cypr., serm. de Cœna Dom.; Ambr., lib. 5 de Sacram., cap. 1, et aliis, quæ habentur c. Sacramenta altaris, de Cons., dist. 1, et c. In sacram., c. Comperimus, cap. Trib. gradib., c. Species, cap. Iteratur, de Cons., dist. 2.

2. *Quorundam opinio.* — Propter hæc nonnulli Theologi simpliciter affirmant, esse plura Eucharistiæ sacramenta, ut ex Aureolo refert Capreol., dist. 8, quæst. 1, arg. contra 2 conclus.; ubi etiam Major dicit esse plura sacramenta specie distincta, licet fateatur posse etiam unum appellari; Gabr. etiam, quæst. 2, art. 2, et lect. 53 in Canon., dicit esse plura simpliciter, unum vero secundum quid, scilicet, vel genere proximo, vel aggregatione quadam.

3. *Conclusio.* — Dicendum vero est Eucharistiam absolute et simpliciter esse unum sacramentum, unitate videlicet specifica in specie atoma, integra et perfecta. Hæc est mens D. Thom. hic, et graviorum Theologorum, dist. 8; Bonav., q. ultima; Albert., art. 13; Richard., art. 1, quæst. 2; Durand., q. 1, ad 2; Capr., Palud., Scoti, etc.; Marsil., q. 6, art. 2, in fine; Alens., quæst. 31, memb. 1; Soti item, dist. 24, quæst. 1, art. 3, ad 2; Ledes., 1 part., q. 54, art. 2; Turrecrem., de Consec., dist. 2, cap. 5, dub. 3; et in eadem sententiam tandem descendit Gabr., lect. 53, si attente legatur; eamque graviter docet Ca-

techism. Pii V, dicens: *Non plura, sed unum tantum sacramentum Ecclesie auctoritate docti confitemur.* Rationem hujus unitatis quidam sumunt ab institutione, quia nimirum moraliter una fuit institutio hujus sacramenti. Alii, a re contenta sub utraque specie, quæ est unus et idem Christus. Alii, ab effectu, quia per utramque speciem unus et idem efficitur. Propria vero ratio est, quam D. Thom. tetigit. Quia, licet ad constitutionem hujus sacramenti concurrant res variæ et materialiter distinctæ, propriasque habentes significationes, omnes tamen componunt unum integrum signum rei et effectus spiritualis; componunt ergo unum sacramentum. Antecedens declaratur primo, quia hoc sacramentum potest intelligi institutum ad rem præteritam significandam, scilicet cruentum Christi sacrificium, quod effusione sui sanguinis, et morte sua consummavit, juxta illud: *Hoc facite in meam commemorationem*; illud autem sacrificium, quod unicum fuit, non significatur expresse per unam, vel alteram speciem, sed per utramque simul, quæ, dum separatim consecrantur, et offeruntur, effusionem sanguinis, et separationem animæ a corpore representant, quæ ratio infra, in materia de communionem sub utraque specie, et de sacrificio, latius explicanda est. Secundo intelligitur significare hoc sacramentum rem, quam continet; et hinc etiam unitatem habet, non solum, quia sub utraque specie, idem Christus continetur, sed etiam quia ex utraque specie unum integrum signum Christi completur, qui, unus cum sit, carne et sanguine constat; quare, licet caro et sanguis distincta videantur, tamen quatenus natura sua unum corpus Christi componunt, per passionem vero distincta fuerunt, uno integro sacramento, duplici specie constante, representantur. Tertio significat hoc sacramentum gratiam, quam efficit; et ex hac etiam parte habet unitatem, quia vel per utramque speciem fit unus tantum effectus, ut infra dicitur, vel certe qualiscumque ille effectus significatur ita explicite per unam speciem, sicut per utramque; significatur enim per modum convivii, et spiritualis refectionis, per analogiam ad corporalem. Unde sicut hæc non consistit in solo cibo, vel potu, sed utrumque requirit, ita illa per cibum et potum complete significatur. Nec refert, quod spiritualis reffectio eisdem omnino donis in re ipsa perficiatur, scilicet gratia et charitate, quæ tam famem, quam sitim animæ extinguunt, quia nihilominus hæc eadem spi-

ritualis res, seu effectus, non nisi per corporale convivium perfectum expresse et omnino complete significatur. Quarto significat hoc sacramentum unitatem, et animorum conjunctionem, quam efficit, quod in se est, inter fideles, qui illud participant, ut dicitur in cap. Firmiter, de Sum. Trin. et fid. Cathol., et in c. Cum Marthæ, de Celebrat. missar., et indicant Concilia Flor. et Trident. Hæc vero fidelium unio, licet per singulas species aliquo modo significetur, quatenus ex multis granis tritici, aut uvæ, unus panis, vel unum vinum conficitur, ut Cyprian., August., Anselm., et alii Patres docuerunt, quos infra, agentes de materia hujus sacramenti, referemus, et colligitur ex c. Firmiter, de Sum. Trinit., et cap. Cum Marthæ, de Celebrat. missar., proprie tamen significatur hæc unitas per utramque speciem, quatenus ad unius corporis refectionem ordinantur, juxta illud 1 ad Cor. 10: *Omnes unum corpus sumus, qui de uno panis, et de uno calice participamus.* Neque satis convenienter significaretur hæc unitas per Eucharistiam, nisi ipsa esset unum sacramentum. Quinto denique significare potest hoc sacramentum futuram gloriam, cujus est pignus. Et hæc etiam significatio completa inest in utraque specie simul sumpta, et non ita expresse in alterutra tantum, quia per utramque indicatur plena satietas, et sufficientia, quæ futura est in æterna beatitudine; igitur sub omni ratione conflatur unum perfectum signum ex utraque specie, atque adeo unum sacramentum.

4. Secundo principaliter declaratur conclusio, quia ut agentes de sacramentis in genere diximus, unitas sacramentorum non est omni parte perfecta, resultans ex indivisibili entitate, aut ex unitate physica partium componentium; sed talis est, qualis in rebus vel signis artificialibus inveniri solet; sic enim domus, exercitus, oratio, convivium, et aliæ res vel actiones similes habent suam unitatem, ad quam non exigitur physica unio partium, sed talis, qualis ad perfectionem et finem talis rei sufficere censetur; ut in exercitu sufficit quidam ordo et compositio partium. In domo major conjunctio, seu copulatio partium necessaria est, propter majorem domus integritatem. In oratione vero, vel alio signo sufficit ordo partium in certa mensura, vel proportionem ad significandum accommodata; neque huic unitati obstare solet distinctio seu diversitas partium inter se; nam etiam solet res artificiata ex partibus heterogeneis

componi, quod etiam in aliis sacramentis videre licet; constant enim materia et forma, quæ res diversæ sunt, et unaquæque significat modo sibi accommodato, et tamen unum sacramentum componunt, licet non physica unione, sed morali, et proportionata ad rationem signi complendam, copulentur; sic etiam in sacramento pœnitentiæ est magna varietas partium in ipsa materia; in sacramento vero extremæ unctionis et Ordinis tam in materia quam in forma; et nihilominus sacramentum est unum; cur ergo non idem dicemus in hoc nostro sacramento?

5. Tertio probatur, quia alias plura essent, quam septem sacramenta, contra Conc. Flor. et Trident., et universum Ecclesie consensum. Dices, esse plura in specie ultima; a Concilio vero numerari septem, sub aliqua ratione generica; sic enim multi censent sacramentum Ordinis non esse unum specie, sed plura. Sed huic responsioni obstat, quia juxta illam nihil certum statui potest de numero sacramentorum, tum quia non obstante definitione Conciliorum, posset aliquis dicere, sub baptismo contineri plura sacramenta baptismi specie distincta, et similiter de aliis; tum etiam quia sub ratione aliqua generica possent tantum duo, vel tria sacramenta numerari. Non ergo numerantur sacramenta sub generica ratione, in qua, ut ex Aristotele sumitur, latere potest æquivocatio; sed numerantur a Concilio sub ratione specifica. Adde, opinionem illam de multitudine simpliciter sacramentorum Ordinis falsam omnino esse, et retorquendum potius esse argumentum; nam omne aliud sacramentum est unum unitate specifica, et si quæ reperitur varietas, tota illa est veluti partium heterogenearum componentium unum; ergo idem est in præsententi dicendum.

6. Tandem Concilia et Sancti frequentius loquuntur de Eucharistia, tanquam de uno sacramento, ut patet ex Concil. Florent. et Trident., sess. 7 et 13, et ex multis, quæ de Consecr., d. 2, referuntur, et in collectis Missæ hic est frequentior usus, ut D. Thom. hic adnotavit; quod si interdum in plurali loquuntur de sacramentis, id fit lata et vulgari locutione, vel propter plura signa partialia, vel propter plura mysteria, quæ in eis continentur, et representantur; vel certe, quia frequentius erat in usu, ut in fine sacrificii fideles communicarent, et sacramenta recipere, unde hic modus locutionis frequentius reperitur in illa oratione Missæ, quæ post

communionem dicitur, ut, *Purificent nos Domine sacramenta, quæ sumpsimus, etc.*

7. Ex his facile respondetur ad rationem dubitandi in principio positam; negatur enim, inter partiales formas et materias hujus sacramenti, non esse sufficientem unionem ad componendum unum sacramentum, quia, ut dixi, non oportet hanc unionem esse quasi physicam, vel pertinentem ad quantitatem continuam; sed moralem, seu cujusdam ordinis et proportionis, prout ad componendam unam integram vel expressam significationem sufficit.

8. Ad primam confirmationem, respondetur in primis, quod ad modum loquendi attinet, sæpe partem recipere denominationem, quando per se, et quasi separata consideratur, ut patet in partibus homogeneis, et in quantitibus discretis; una enim propositio per se sumpta, oratio est, licet alias pars etiam sit unius longioris orationis; et pars domus, si sufficiens sit ad usum, et finem constituta, dicitur absolute domus, quamvis ex illa componi possit perfectior, et integrior domus; sic ergo species panis per se sumpta, potest dici sacramentum, quamvis cum alia specie vini unum componat sacramentum, cujus est pars. Secundo dicitur homo suscipere totum sacramentum sub una specie, quia recipit totum Christum, qui est res præcipua in hoc sacramento, et sacramentum simul, ut indicat Trident., sess. 21, cap. 3. Item, quia veluti eminenter recipit totam virtutem hujus sacramenti, et quidquid ad perfectam refectionem spiritualem necessarium est. Quo modo dici potest tota ratio seu virtus hujus sacramenti esse in toto, et in qualibet parte ejus; formaliter tamen et in ratione signi, non recipiunt fideles in una specie totum id, quod est sacramentum tantum; et hoc modo dixit Bonav., d. 11, art. 2, quæst. 2, fideles accipere in una specie totum sacramentum, quoad efficaciam, non quoad significationem. Unde patet solutio ad secundam confirmationem, nam licet non sit certum, per singulas species dari totum effectum hujus sacramenti, tamen hæc admissio, potius confert ad illius unitatem, quia ad eundem effectum ordinatur totum, ut ex duabus speciebus constat, licet per quamlibet partem possit illum efficere. Si vero singulæ species conferunt diversos effectus, illi erunt partiales, sicut de distinctis Ordinibus dictum est. Ad ultimam confirmationem in superioribus responsum est.